



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 53. Alphonsus Genuam obsidet, & Neapoli moritur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

§. LIII.

*Alphonsus Genuam obsidet, & Neapoli  
moritur.*

*Naucler.  
vol. 3.  
gener. 49.*

*Blondus  
Summont.  
Colinutio.  
Surita Fa-  
zel. Spond.*

Verum longe magis infausta fuit alteri Alphonso Arragoniæ ac Neapolis Regi Genuensis civitatis obsidio; Hanc terra marique cinxit, ejusdemque classis Præfectus Bernardus de Villa-Major cum viginti navibus, ac decem longioribus navigiis Portum Delphini attigerat, ut classe sua juxta mandatum Regis Genuensem portum circumdaret; cum interea Palermus patria Neapolitanus urbem terra copiis suis cingeret. Jamjam civitatis aditum omni ex parte tam arcte interclusit Rex, ut obsessi ad incitas redacti, haud dubie deditionem fecissent, nisi intempestiva eaque ardentior febris Alphonsum, dum adhuc Neapoli hæret, die vigesima septima Junii hoc anno vivis eripuisset. Hic Princeps erat sane armorum peritia, animi fortitudine, pietate, munificentia, ac literarum æque ac literatorum amore longe clarissimus, Theologiæ quoque scientia haud leviter tinctus. Bartholomæum Faccium, qui sui ævi historiam concinnavit, Georgium Trapezuntinum, Laurentium Valla, & Antonium Panormitam Bononiensem, qui omnes profunda eruditione spectatissimi

tissimi erant, pluribus cumulavit benefi-  
ciis. Diem obiit Alphonfus annos na-  
tus sexaginta sex, nulla prole relicta;  
quocirca Regnorum Arragoniæ, atque  
Siciliæ successorem habuit Joannem Fra-  
trem suum, jam antehac Navarræ Regem.

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

## §. LIV.

*Ferdinandus spurius Alphonfi Filius  
Rex Neapoli salutatus.*

Alphonfus, priusquam moreretur, Fer-  
dinandum filium suum spurium Nea-  
politani Regni hæredem testamento nun-  
cupavit, eique vix non expirans moni-  
ta dedit, in tribus præcipue illum ad-  
hortatus. I. Ut ad regimen quiete ge-  
rendum, Arragonenses & Catalanos, tan-  
quam Regno exosos a se dimoveret. II.  
Exactiones haud ferendas, quas ipsemet  
imposuerat, diminueret. III. Pacem cum  
Ecclesia, aliisque statibus, atque Italiæ  
Proceribus conservaret. Ceterum cum  
Callistus Papa odium, quo in Alphonsum  
secreto ferebatur, palam exerere non au-  
deret, eoquod viventis potentiam time-  
ret, illo tamen fati functo iram suam in  
Ferdinandum effudit. Vix enim Pater  
ejus extremum vitæ spiritum ediderat,  
cum Pontifex omnes Episcopatus, quos  
ab Alphonso conferre prohibebatur, libe-  
re concedebat, regnumque Neapolitanum

Comm. Pii II  
lib. 2 fol. 35.

S. Antonin.  
tit. 22. cap. 16  
§. 1.